

studiosissimæ nostræ erga vos caritatis pignus accipite Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam cuique vestrum, atque omnibus istarum Ecclesiarum clericis laicisque Fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 2 Decembris anni 1843, Pontificatûs nostri anno decimotertio.

GREGORIUS PP. XVI.

EPISTOLA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE, AD ARCHIEPISCOPUM BALTIMORENSEM.

ILLMÆ AC REVME DOMINE,

ACTA ac decreta Concilii quinti Provincialis Baltimorensis, mense Maio hujus anni 1843 celebrati, S. Congregatio Generalis de Propagandâ Fide, die 18 Septembris habita, accuratè perpendit. Plurimum verò commendavit singularem sapientiam ac Religionis promovendæ studium, cujus ea Acta et Decreta testimonium perspicuum continent. Gratulata autem est S. Congregatio Amplitudini tuæ et ceteris Episcopis, qui unâ tecum Concilium habuerunt, luculenter intelligens nova sollicitudinis vestræ pastoralis vos argumenta quotidie exhibere. Atque ex adjecto Decreto comperietis memorata Concilii Decreta ipsius SSm̃i Dñi Nostri auctoritate confirmata esse. Additum denique his litteris folium significabit perpauca, quæ in Decretis illis immutari debere S. Congregatio existimavit.

Quod spectat ad novarum Sedium Episcopaliû erectionem, Episcoporum et Coadjutorum electionem*, ac Vicariatum Apostolicum in Oregonensi regione statuendum, sciatis hæc omnia, SSm̃o Dño Nostro probante, jam esse decreta, electis videlicet iis ad singulos Episcopatus, vel ad munus Coadjutoris obeundum, quos primo loco in singulis casibus proposuistis, excepto tantum Vicario Apostolico Oregonensi, ad quod munus Presbyter D. FRANCISCUS NORBERTUS BLANCHET Canadensis designatus est.

Hæc vobis sine dilatione scribenda esse censui, planè sciens id vobis jucundum esse futurum. Ceterum, de novis Sedibus Episcopalibus, ac Vicariatu Apostolico Oregonensi erecto, et de singulorum Episcoporum electione, Brevia Apostolica, cum primum fuerint expedita, ad te mittenda curabo.

Precor Deum, etc.

Romæ, ex Ædibus S. Congregationis de Propagandâ Fide, die 30 Septembris 1843.

J. PHILIPPUS CARD. FRANSONI, *Pref.*

JOANNES BRUNELLI, *Secretarius.*

* Novæ de quibus hic agitur Sedes Episcopales sunt Pittsburgensis, Petriculæ seu *Little-Rock*, Chicaginis, Hartfordensis et Milwauchensis, quæ Presbyteris infra memoratis collatæ sunt, nempe: Pittsburgensis, Rev. D. MICHAELI O'CONNOR; Petriculæ seu *Little-Rock*, Rev. D. ANDRÆE BYRNE; Chicaginis, Rev. D. GULIELMO QUARTER; Hartfordensis, Rev. D. GULIELMO TYLER; Milwauchensis autem Rev. D. JOANNI HENNI.

Rev. D. IGNATIUS ALOYSIUS REYNOLDS ad vacantem Sedem Carolopolitanam evectus est.

Rev. D. JOANNES McCLOSKEY R. P. D. Episcopo Neo-Eboracensi; Rev. autem D. JOANNES BERNARDUS FITZPATRICK R. P. D. Episcopo Bostoniensi Coadjutores dati sunt.

DECRETUM

S. CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE,
 QUO DECRETA CONCILII BALTIMORENSIS PROVINCIALIS
 QUINTI CONFIRMATA DECLARANTUR.

CUM R. P. D. SAMUEL ECCLESTON, Archiepiscopus Baltimorensis, post celebratum mense Maio anno 1843, unà cum Episcopis Diœcesum in Fœderatis Americæ Septentrionalis Provinciis existentium, Concilium quintum Provinciale Baltimorensis, SSmum Dñum Nostrum GREGORIUM Papam XVI, suo et Concilii nomine precatus sit, ut Decreta ab eodem Provinciali Concilio condita Apostolicâ auctoritate confirmaret, si, post accuratam eorumdem Decretorum considerationem, confirmatione suâ digna illa esset judicavisset; S. Congregatio de Propagandâ Fide, in generali Conventu die 18 Septembris anno 1843 habito, referente Eñno ac Revmo D. JACOBO PHILIPPO, tituli S. Mariæ in Araceli, S. R. E. Cardinali FRANSONIO, sacri Consilii Præfecto, plurimum commendatâ Concilii sapientiâ, studio singulari Religionis amplificandæ, et Ecclesiasticæ disciplinæ tuendæ, ac rerum gerendarum peritiâ, quæ in Decretis illis manifesta est, censuit ac decrevit supplicandum Sanctitati Suæ, ut Archiepiscopi et Episcoporum precibus superiùs significatis annuere, et Decreta de quibus agitur confirmare dignaretur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo Dño Nostro relatam ab R. P. D. JOANNE BRUNELLIO, sacri Consilii Secretario, in audientiâ diei 24 Septembris 1843, Sanctitas Sua benignè in omnibus

probavit, et memorata Decreta, Apostolicâ confirmatione munita, in Diœcesibus Fœderatæ Americæ Septentrionalis servanda esse jussit.

Datum Romæ, ex Ædibus Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, die 30 Septembris anno 1843.

J. PH. CARD. FRANSONI, *Præfectus*.

JOANNES BRUNELLI, *Secretarius*.

